

et Theodericus fratres dicti Magni eadem bona tenuerunt a nobis et honorabili viro domino Heynrico de Gubin, praeposito in Hayn, iusto vendentes titulo resignaverunt ad manus nostras. Postea libere resignavimus et litteris praesentibus resignamus dei intuitu ac in progenitorum nostrorum, necnon fratris nostri Hermanni nuper defuncti peccaminum indulgentiam salutarem ad appropriandum ecclesiae Misnensi perpetuo pro elemosyna de eis pauperibus facienda. In cuius rei testimonium litteras praesentes dari fecimus appensione nostri sigilli communitas, praesentibus praedicto domino nostro episcopo, dominis videlicet Alberto de Gubin, Hermannno praeposito Budissinensi, Bolberto de Mulhusin, magistro Arnolde de Rydebech canonicis ecclesiae Misnensis, magistro Paulo perpetuo vicario, Johanne capellano nostro, plebano in Lesnitz, Conrado de Wystrop notario nostro, Conrado de Munen, Theoderico Magno et ceteris fide dignis. Datum et actum Misnae anno millesimo tricentesimo tricesimo septimo proxima feria secunda ante diem beati Johannis apostoli et evangelistae ante portam latinam.

Nach zwei Originalen im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel (Schild mit dem Andreaskreuz) an Pergamentstreifen.

Hasche Magazin VIII. S. 374.

No. 423. 1337. 5. Mai.

B. Withigo II. bestätigt mit Zustimmung des Capitels die in vorstehender Urkunde ausgesprochene Stiftung.

Nos Wythigo dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus ad universorum notitiam tenore praesentium in perpetuum volumus pervenire, quod villam Cerkuwicz cum VII^l talento et II parvis latorum denariorum annui census cum molendino, taberna et agris dictis rodelant, cum piscatione quae vach¹⁾ dicitur, cum pratis, pascuis, lignis ac omnibus iuribus, utilitatibus, servitiis, videlicet XLI pullo, III^{or} sexagenis ovorum et VII caseis ac pertinentiis universis, quibus Vlricus et Theodericus fratres dicti Magni dicta bona honorabili viro domino Heynrico de Gubin praeposito in Hayn rite et rationabiliter vendiderunt et nobili viro Meynhero burgravio in Misna spontanee resignaverunt, qui postea dicta bona ad manus nostras libere suo et patruelium suorum nomine resignavit. Cuius resignationis praetextu saepedicta bona cum omnibus, ut praemittitur, ecclesiae Misnensi appropriamus et in proprium damus litteris praesentibus pro elemosyna perpetuo facienda pauperibus de eisdem bonis, quam idem praepositus in Hayn per se faciet ministrando temporibus vitae suae; et quemcunque de vicariis perpetuis ad hoc deputaverit, quod eo decedente de dictis bonis elemosynam pauperibus fideliter amministret, is intuitu emolimenti sui laboris recipere debet annis singulis pullos, ova, caseos supradictos. Sin autem, cui dicta amministratio elemosynae faciendae commissa fuerat saepedicto praeposito decedente, minus rite distribueret aut in ministrando notaretur negligens aut remissus, extunc decanus, qui pro tempore fuerit, de consilio capituli alium subrogabit ex vicariis idoneum et fidelem. In cuius rei evidentiam perpetuam litteras praesentes dari fecimus nostri sigilli robore con-

1) wach B.